

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Joachim Schnobel

**Programma Quo Rector Universitatis Joachimus Schnobelius, I.U.D. & Professor  
Ab Impia & Inveterata potandi consuetudine, quae hoc tempore potissimum  
frequentari solet Cives Academicos serio dehortatur**

Rostochii: Kilius, 1649

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734827814>

Druck    Freier  Zugang



Ru Progr. 1649

1) Joach. Schnobel

2) " Tischering

3) Andreus Tischering

4) Joach. Stochmann

(5) Sebastian Meier Sticker Proze)



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn734827814/phys\\_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734827814/phys_0002)

DFG

1  
9.

PROGRAMMA  
*Quo*  
Rector Universitatis  
JOACHIMUS SCHNOBELIUS,  
J.U.D. & Professor

*Ab*

Impia & Inveteratâ potandi  
consuetudine, quæ hoc tempore  
potissimum frequentari  
solet.

*Cives Academicos scriò debortatur.*



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILLI, Acad. Typogr.

ANNO M. DC. XLIX.



E<sup>t</sup>us Germanorum & proh dolor ! perpetuum est vi-  
tium cupiditas potandi ac stu-  
diosa Ebrietatis affectatio. Etsi  
enim in multis priscam rudita-  
tem & morum barbariem e-  
mendavimus, & cum olim majores nostri veri  
Dei notitiam non habuerint, sine literis & ar-  
tium liberaliorum cultura vitam ferme pecu-  
cudum ritu duxerint, divinâ nobis affulgente &  
favente gratiâ tantum profecimus, ut religione,  
humanitate, eruditione, artium & opificiorum  
varietate ingeniosâ gentibus etiam cultissimis  
superiores, vel ipso Bodino teste, videamur; fœ-  
dum tamen illud potandi crimen haec tenus dedi-  
scere non potuimus. Imò etiam tractu seculo-  
rum malum hoc non solùm nihil decrevit, sed  
majores etiam sumpsit vires, ut nullum in Ger-  
mania vitium, quam Ebrietas, hodieq; latius ac  
potentiùs regnet. Nulla profuerunt illi sanan-  
do haec tenus remedia, nulla ei extirpando value-  
runt damnorum documenta. Quid enim ex  
illo usq; tempore, quo ad fidem Christianam  
majores nostri fuerunt conversi, & cœlestis verbi  
do.

doctrina ipsis prædicata, profuit divini vatis,  
vel ipsius potius Dei audivisse vocem terrifi-  
cam: *V&E qui consurgitis manè ad sectandam ebrie-  
tatem & potandum usq; ad vesperam, ut vino astuc-  
tis.* & porro: *V&E qui potentes sunt ad bibendum  
vinum, & viri fortes ad miscendum potum inebriantem.* Quæ sane quasi fulmina mentes omnium  
percellere debebant, ne exitium aliquando ex-  
perirentur, ea vix leviter ac modicè pectora ple-  
rorumq; tetigerunt, ut saltem cogitationem de-  
vitanda ebrietate instituerent. Ipse Dei filius  
quām amicè & fideliter monet, ut imminentem,  
jam fine mundi *caveamus, ne quando corda nostra  
graventur crapula & ebrietate, & ultimo dic super-  
veniente à conspectu ipsius repellamur!* Sed quotus-  
quisq; monitum hoc in animum demisit, & non  
potius se flocci id facere ipso facto ostendit?  
Quid juvit Paulinum creberimè repetitum-  
esse: *Nolite inebriari vino, in quo est Aowia (b. e. sa-  
luti profusio) sed implemini spiritu?* Porrò turpitudi-  
nem huj<sup>o</sup> vitii esse maximam omnes fatentur, &  
ebriosorum nemo tam vecors est, qui, quando  
postridie ad saniorem rediit mentem, se pridie  
humani parum habuisse non agnoscat. Rarò  
enim animus, ubi vino incaluit, in suā potestate  
est, & paucissimos videas, qui dilutis mero curis  
in liberam ingenuamq; hilaritatem solvantur.

& sincero gaudio jucundisq; salibus absq; mix-  
turâ impietatis, & scurrilitatis animi se-  
verioris mœstitudinem dissolvant, ac intra septa me-  
diocritatis sese contineant. Ipsum verò dedecus,  
quod temulentis & vino madidis adhæret, quis  
credat Germanis honestioris vitæ ac severitatis  
studiosissimis tandem non adeò displicuisse, ut  
nuncium ebrietati miserint, illamq; res ae fœdi-  
tatem suam sibi habere jusserint, cùm idem vel  
pueros Spartanorum ab hoc vitio absterrere po-  
tuerit? Damna etiam & mala maxima, quæ velut  
vitis botros, magno agmine producit Ebrietas,  
quem unquam latuerunt? Quid enim sani re-  
linquit corpori aut animo? quid non habet pe-  
riculi? Hæc enim, ut Senecæ Pliniiq; verbis hic  
utar, omne vitium incendit & detegit, obstan-  
tem malis conatibus verecundiam removet: :  
tunc avidi matronam oculi licentur, graves pro-  
dunt marito: tunc libidinosus cupiditatibus  
suis, quantum petierint, sine dilatione permit-  
tit, impudicus morbum proficitur ac publicat:  
tunc petulans non linguam non manum conti-  
net: tunc effrenatum os mortifera loquitur, re-  
diturasq; per jugulum voces non continet. Cre-  
scit insolenti superbia, crudelitas sævo, maligni-  
tas livido: hinc contumeliæ, illusiones, rixæ,  
duella, cædes. Adijce illam ignorationem sui,  
cali-

caligantes oculos, gradum errantem, vertiginem  
capitis, & inde lapsus, suffocationes & alia vitæ  
discrimina & exitia præsentissima. Quid memo-  
rem pallorem, genasq; pendulas, oculorum ul-  
cera, tremulas manus, & (quæ pæna præsens est)  
furiales somnos, ac inquiete nocturnam; poste-  
ro die fœtorem halitus, & rerum ferè omnium  
oblivionem mortemq; memoriæ? Hæc Seneca  
& Plinius Ethnici: audiamus quoq; ex Sacris  
Regum sapientissimum, *Cui va? cui cheu? cui rixa?*  
*cui qucrela?* *cui vulnera sine causa?* *cui rubor ocu-*  
*lorum?* nonne immorantibus apud vinum, *& calices*  
*evacuare properantibus?* ne respicito vinum quum  
Splenduerit in vitro, quia tandem velut serpens mor-  
debit ac venena sua diffundet. Dilucidius S. Augu-  
stinus: Ebrietas, inquit, flagitorum omnium mater,  
culparumq; materia, radix criminum origo vitiorum,  
turbatio capitis, subversio sensus, tempestas lingua, pro-  
cella corporis, naufragium castitatis, amissio tempo-  
ris, insania voluntaria *&* anima corruptela. Alibi  
Idem, Ebriosus, inquit, dum vinum sorbet, ab illo  
absorbetur, Deo fit abominabilis, ab angelis despici-  
tur, ab hominibus deridetur, à Dæmonibus confundi-  
tur, conculcatur ab omnibus. Ebriosus confundit na-  
turam, amittit gratiam, incurrit (teste scil. Apostolo)  
damnationem æternam. Hæc talia & tanta, quæ  
per se verissima & à nemine negari queunt, iti.

dem ad refrænandum hoc intemperantiae genus  
nihil momenti habuerunt, adeoq; vix repertus,  
qui ex aliorum interitu occasionem illud q. eju-  
randi arripuerit. Et quamvis etiam hæc perpo-  
tandi consuetudo tantorum vitiorum fomes tot  
malorum procreatrix, ob quam Germanis aliæ  
Nationes contumeliosè jā olim illudebant, prio-  
ri seculo publicis imperii sanctionib<sup>o</sup> severè fue-  
rit inhibita & tantum non proscripta, apparuit  
tamen huic malo sanando & leges esse impares,  
ut pote quæ in ipsis q. cunis ipsorum Imperii pro-  
cerum factis contrariis sunt oppressæ & juxta-  
cū Novellis Leonis ab usu & observantia prorsus  
exclusæ. / Quâ de re cordatus quidam Ictus, Ma-  
gnopere, inquit, est deplorandum, optimam &  
piam illam Imperii constitutionem vomzutrin-  
cken semel atq; iterum renovatam atq; confirmata-  
tam pessimo exemplo, & cum quadam turpitu-  
dinis infamia non servari, nec Status Imperii, qui  
sobrietatis exemplo subditis prælucere in ea jus-  
si sunt, cogitare, sibi quandoq; in die judicii ra-  
tionem reddendam, cur tam piam, utilem, &  
necessariam legem contrario quasi usu abrogari  
passi sunt. Deniq; quos nec ipsa Dei intermina-  
tio, nec monita, nec damna, nec supremiti Magi-  
strat<sup>o</sup> autoritas ab hoc vitio retrahere & revocare,  
illos nec calamitates, quas potatoribus per E-  
saiam

saiam est minatus, ab irato D E O immisæ emendare & ad frugem ac sobrietatem redigere potuerunt. Quàm horrendum per 30. annos continuos in Patria nostrâ gestum sit bellum, quanta crudelitate & furore loca passim diruta prostrata, vastata; civitates fortunis & opibus suis exutæ nunc paupertate fermè extrema sordeant, omnibus est notissimum: quàm nihil autem vel parum admodùm ad ardorem illum inveteratum potandi restinguendum bellica isthac inundatio effecerit, ad unum omnes fateri cogimur. Ita enim fermè, quamvis absolum & incredibile, usu venit, ut assiduitas calamitatum Impietatis sit augmentum, & unà cum ruinâ rerum boni mores collabantur potius quàm collapsi instaurentur, quod & divina jamdudum de indurata Judæorum perversitate questa est justitia, *quid, inquiens, percutiam vos amplius, cùm tantò magis apostasiam augeatis?*

Utut autem hoc ita sit, & virtùm illud ebrietatis apud Germanos tantas egerit radices, ut extirpari non queat, solicitandæ tamen subindumentes sunt, ut ab eo sibi cavere meminerint. Quòd cùm quovis quidem tempore, hoc tamen imprimis, quo Bacchi festum agitari solet, neutiquam est negligendum. Nunc enim, veluti jus quoddam compotationibus & licentiam luxuriæ

riæ ac petulantia dari vulgo existimatur. Ethnicam verò hanc esse opinionem , profanam & abominandam sanctitas Christianæ nostræ religionis abundè ostendit. Imò quid minus huic tempori, quo quadragesimale C H R I S T I jejunium , & acerbissimæ ipsius passionis memoria publicè recolitur, congruit, quam heluari?

Quocirca illos , qui nostræ subsunt jurisdictioni, Studiosos præsertim juvenes per Dei misericordiam in donatione & Passione filii evidenter patefactam sedulò moneo &hortor, ut hisce non Baccho ejusq; orgiis, sed CHRISTO pro salute nostra æterna crucifixo ejusq; honori sacratis diebus sobrietatem, modestiam, castitatem colant, petulantiam, scurrilitatem, illusiones aliorum, heluationes & quæ inde exoriri solent, nocturnas discursationes, clamores ac Cyclopicas vociferationes, digladiationes & alia, Christiano togatoq; milite indigna evitent ac fugiant. Secus facientes non solum iram divinam & pericula suprà memorata certissimè incurrent, sed pro qualitate delicti vindictam quoq; Politici Magistratus experientur. P. P. Rostochii sub sigillo Academiæ IV. Februarii  
Anno M. DC. XLIX.

• 6(0) •



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn734827814/phys\\_0011](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734827814/phys_0011)






Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn734827814/phys\\_0012](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734827814/phys_0012)



naxis decantandis: vel Bonorum  
præclarorum Virorum rebus ge-  
richtitantur: At longè rectius, quæ  
ceditur, otium, in beneficiis Soli  
CHristi prædicandis, iisq; quæ  
tione celebrandis consumunt,  
ejus Nativitate; vel crudelissima  
vel de salutari resurrectione: ve-  
dem ascensione, versus, non  
stans ducentos in hora dictabau-  
ponunt, & hac ratione animum  
flictum, & perculsum excitant,  
gunt, & solantur: nec non studi-  
quo ad immensum sapientia  
strant. Hic labos, si labos, & ne-  
cendus est, ut omni difficultate  
ita quoq; voluptate, & utilitate  
perioribus mensibus probè secu-  
tissimus, Præstantissimusq; Vir-  
B E C H O V I U S, S.S. Theologiae Stu-  
beccensis Collega industrius. Hi-  
cumfluat, & abundet, sed sempe  
que, quod agat, habeat: ferias ta-  
cationes à laboribus scholasticis  
bus, quæ veræ recreationes sun-  
tambulationibus, commessatis  
vis conviviis, idq; geni s aliis, c



the scale towards document

endo: vel  
pendis pe-  
uod con-  
stri JESU  
igatà ora-  
dmiranda  
& morte:  
riosa ejus-  
uno pede  
ratos com-  
mnisq; af-  
alios eri-  
uti amnē,  
iat, mon-  
equies di-  
cia vacat:  
Hoc su-  
dit Erudi-  
tus TRIB-  
Scholæ Lu-  
p non cir-  
privatim-  
nes, & va-  
reditationi-  
re; quām  
ntempesti-  
s, tūm ani-  
mam